



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De sancto Donato Episcopo Euoriæ, & de Theotino Schytarum Antistite.
Capvt XXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

*De sancto Donato Episcopo Euroæ, & de
Theotino Scytharum Antistite.*

CAPVT XXV.

HAC memoria multi multis in locis per orbem terrarum inter episcopos præclari extiterunt: vt Donatus Euroæ Epiri, quem & alia multa mirabilia fecisse testantur indigenæ, & illud maximè, quod in Draconis interfectione præstitit: Qui in Chamægephyris, quas vocant, ad viam Regiam lustrum habebat, & oues, & capras, & boues, & equos, nec non & homines, & alia rapiebat: Neque enim ille vel gladium vel hastam ferens, vel aliud aliquod telum habens, hanc belluam adortus est, sed cum illa eum aduentantem sensisset, & caput, velut impetum factura, exerisset, signum crucis aduersus ipsam aëri digito inscripsit, & illi in faciem expuit: Illa sputo in os accepto statim cecidit, ac mortua iacens amplitudine non minor apparuit iis serpentibus, qui visuntur apud Indos. Siquidem vt ego quidem accepi, octo iugis in proximum campum extractam indigenæ combusserunt, ne putrefacta aërem inquinaret, & morbos pestilentes gigneret: Donato huic sepulchrum est insigne templum ab ipso denominatum. Prope quod etiam fons est aquis vberimis scaturiens, quem cum antea non esset, Deus illius precibus exoratus edidit, erat enim is locus prorsus aridus. Nam cum ille aliquando ex itinere huc aduenisset, fertur sodalibus eius aquæ defectu laborantibus, effossa manibus terra, orasse, & simul ad votum aquam vberem scaturiuisse, & ab eo tempore defecisse nunquam: Sed huius quid est rei testes sunt, qui Isoriam incolunt, pagum Euroæ, in quo hæc acta sunt: Eadem memoria Tomiensium & reliquæ Scythiæ ecclesiam gubernabat Theotinus Scythæ, vir in Philosophia enutritus, quem ob virtutem admirati Hunni Istri Accolæ Barbari Deum Romanorum appellabant. Nam sane diuinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim, quod aliquando iter per hanc Barbarorum terram facienti, eadem via obuiam facti sint, qui ad prædationem adequitabant. Lamentantibus igitur eius sociis, perinde vt qui iam iam essent

Z v sent

SOZOMENI HISTOR.

sent perituri, ille descendens ab equo orabat, quo facto Barbari, neque ipso neque comitibus eius, neque equis quibus infidebant conspectis, præterierunt: cum autē crebris incursionibus Schythas infestarent Hunni, quamuis natura essent feri, tamen ad mansuetudinem cōuertit, tum conuiujs, tum muneribus eos liberaliter excipiens: Quæ quidem ex re vir quidā Barbarus eum suspicatus esse opulentum, dolo capere statuerat, parato igitur in hoc laqueo ad scutum alligato, sicut in hostes consueuerat, illi dum colloquitur, sublata dextra funem immissurus erat, tanquā eum ad se & ad contribules attracturus. At verò manus in ipso conatu eleuata in aëre remansit, nec antea Barbarus ex inuisibilibus istis vinculis liberatus est, quam alijs pro ipso intercedentibus Theotinus Deum exorasset. Aiunt porrò quod hic in coma nutrienda perseuerarit, & Philosophiæ studium, uti cœperat, prosecutus, ac tenui victu vsus sit, sumendique nutrimenti non semper idem, sed in fame atque siti tempus determinauerit. Philosophi enim erat opinor, his quoque pro necessitate, & non pro otio locum dare.

De sancto Epiphanio Episcopo Cypri, & particularis quadam rerum eius expositio.

CAPVT XXVI.

EAdem tempestate Metropolitanæ Cypriorum ecclesiæ præerat Epiphanius, quem non solum in rebus politicis ob virtutes, sed & ob miracula illustrem Deus effecit, quæ in honorem eius tum uiuentium defuncti peragere dignatus est: defuncto enim, quod uiuenti non contigerat, ad sepulchrum eius etiam adhuc dæmones expelli & sanationes fieri fama est. Sed & eo tempore quo uiueret multa illi admirabilia tribuuntur. Quorum vnum, quod quidem nobis innotuit, illud est. Nam cum largus esset in pauperes & eos, qui vel naufragijs vel alijs infortunijs afflicti erāt, postq̄ iā olim suas ipsius facultates insumserat, exigēte necessitate, etiā pecunias ecclesiæ erogabat: fuerant hæc sanè multæ, vndique enim